

Christum Iesum, id est gratuita reconciliatio, vera et aeterna bona. In hac simplici sententia credo tuto acquiescere omnes pios. Nam tenebrae, quae offunduntur, non sunt ex verbis Christi, sed ex somniis indoctorum hominum. Acerbissime litigant de modo praedicationis et, vt illum σύζευξιν tueantur quidam, asseuerant esse praedicationem inusitatam.⁸⁵ Nominemus nos praedicationem sacramentalem, quales sunt istae: „Euangelium est potentia Dei“⁸⁶ etc., „Baptismus est lauacrum regenerationis“⁸⁷ ita „Panis est corpus Christi“⁸⁸, „Panis est κοινωμία corporis Christi“⁸⁹, „Calix est nouum testamentum“⁹⁰, „Calix est κοινωμία sanguinis Christi“⁹¹ hoc est vniuersum ministerium. Et in hoc illi ritus, qui nominantur sacramenta, sunt instrumenta vel res, per quas Filius Dei in ecclesia est efficax. Si quis docendi causa quaerit tropum, non difficile est eum nominare. Meo tamen iudicio in phrasibus sacramentalibus metonymia, quae simul complectitur synecdochen, concinna est. Et osten-[27:]dunt exempla omnium linguarum saepe misceri plura genera figurarum in oratione: „Euangelium est potentia Dei“⁹² antonomasia est cum syecdoche, hoc est instrumentum, per quod Deus potenter est efficax. Item „Verba mea sunt spiritus et vita“⁹³ hoc est per verbum tanquam per rem ad hunc vsum institutam Filius Dei donat vitam credentibus. Sacramenta vero simul sunt ritus vel actiones sacrae, quae sunt signa effectuum diuinarum vel signa illius beneficij, quod donatur nobis. Ideo facilis in talibus propositionibus est metonymia. Baptizatus inseritur regno Christi, sed illa mersio externa simul signum est ablutionis et mundationis internae. Ita manducatio in sacra coena simul pingit etiam oculis nostris corporalibus nutritionem, quam haurimus ex Christo habitante in nobis, et in hanc sententiam dictum est ab Augustino, sacramenta esse verbum visibile.⁹⁴ Quare iudico comprehendendam esse synecdochen et metonymiam in his locutionibus. Optimus noster Philippus hanc propositionem: „Calix est nouum Testamentum“⁹⁵ confert isti: „Fasces sunt imperium Romanum.“⁹⁶ Neque ista multum dissimilis est: „Septem boues sunt septem anni.“⁹⁷ Bos enim arator est et a

⁸⁵ Zur Traditions-geschichte des Terminus „praedictio inusitata“ vgl. Philipp Melanchthon, *Erotemata dialectices* (1547), in: CR 13, 524.

⁸⁶ Röm 1,16.

⁸⁷ Tit 3,5.

⁸⁸ Mt 26,26 par.

⁸⁹ I Kor 10,16.

⁹⁰ Mt 26,27f par.

⁹¹ I Kor 10,16.

⁹² Röm 1,16.

⁹³ Joh 6,64.

⁹⁴ Augustin, In Iohannis euangelium tractatus LXXX, 3, in: PL 35, 1840 (CChr.SL 36, 529,5f).

⁹⁵ Mt 26,27f par; I Kor 11,25.

⁹⁶ Diese Aussage konnte nicht im Werk Melanchthons verifiziert werden. Vermutlich handelt es sich um einen Vergleich, den Melanchthon in seinen Vorlesungen verwendete und an den Curaeus hier erinnert.

⁹⁷ Gen 41,27.